

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	margine
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 24, circa 2, quaestio 2. (fol. 29va)

Utrum liber arbitrium sive voluntas et intellectus sint eadem potentia vel diverse?

Secundo quaeritur, utrum liber arbitrium sive voluntas et intellectus sint eadem potentia vel diverse? Et videtur quod eadem, quia quaecumque uni et eidem <29vb>

sunt eadem per essentiam, inter se sunt eadem per essentiam, secundum Philosophum in Elenchis. Sed intellectus et voluntas sunt huius, ergo etc. Probo minoris, Augustinus, *X De trinitate*,² memoria, intelligentia et voluntas sunt una mens, una vita, una substantia, una essentia.

Item, quarumcumque potentiarum est idem actus, est eadem essentia. Sed intellectus et voluntas sunt huius, ergo etc. Probatio minoris, Augustinus, *XV De trinitate XXI*,³ dicit, voluntas scit et intelligit, et intelligentia diligit.

Item, potentiae distinguntur per actum, et actus per habitus, et habitus per obiecta. Sed obiecta istarum potentiarum sunt una essentia licet sub diversa ratione. Ergo, et potentiae sunt una differentes solum ratione.

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 24, c. 2, q. 2, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Augustinus, *De trinitate* lib. 10, cap. 11.

³ Augustinus, *De trinitate* lib. 15, cap. 21.

Contra, Philosophus et Damascenus dividunt potentias rationales in affectivas et cognitivas.

Respondeo, dicendum, quod circa istam quaestionem duplex est positio satis solemnis et satis probabilis. Una dicit, quod possumus loqui de istis potentiis aut in ratione essentiae, aut potentiae. Si primo modo, dicunt quod sunt penitus idem. Si vero sub ratione potentiae, sic sunt diverse. Hanc dicunt fuisse intentionem Augustini, *X De trinitate capitulum XXI*,⁴ sicut patet per iam dictam auctoritatem. Unde in hoc dicit, quod est ratio imaginis. Quia sicut Deus est una substantia, una essentia, et quicquid aliud a se ipsum dicitur ea vero, quae non ad se ipsum sed ad aliquid dicuntur, sunt ibi tertia, scilicet Pater et Filius et Spiritus Sanctis, sic dicit se habere in anima, quod in quantum dicunt absolutum, puta substantiam vel huius, unum sunt. Si vero accipiantur istae potentiae in quantum dicuntur ad aliquid, ut patet *V et IX Metaphysicae*, intantum sunt tres potentiae. Et quando dicitur contra eos, quod Augustinus intendit dicere, quod sint una substantia in ratione subpositi, respondent et dicunt, quod non est verum, quod probant per hoc, quia ipse dicit, quod haec non sunt partes animae.

Alii autem dicunt, quod habent diversitatem in ratione essentiae et potentiae. Sunt enim quaedam formae vel naturae formales in una materia spirituali animae radicatae per quas anima operatur diversos actus circa diversa obiecta. Hoc probant sic, quia istae potentiae dicunt aliquam essentiam, quia non dicunt nihil. Sed in anima non sunt nisi materia animae, et eius forma et eius accidentia, quia omnis entis est bona divisio in substantiam et accidens. Sed non potest dici, quod sint accidens, quia Augustinus probat, *IX De trinitate capitulum 4*, quod non possunt esse accidens. Et etiam quia sequeretur, quod homo posset intelligi non habens intellectum et voluntatem, si essent accidentia. Item, homo iam reponeretur in sua specie per sua accidentia, quae omnia sunt impossibilia et absurda. Ergo, si iste potentiae non sunt accidentia, nec etiam sunt materia, relinquatur per locum a divisione quod sint formae.

Item, ratio imaginis sumitur penes illud quod est melius et dignius in anima. Sed in re naturae est dignius et melius sua forma naturali, quia a forma habet quaelibet res suam perfectionem et entitatem. Ergo per istas potentias cum anima dicatur imago Dei, debet dici, quod sint formae animae, et non accidentia, vel eius materia.

Item, istae potentiae sunt active et non passive, cum in eis consistat tota nobilitas animae, quia si de se essent passive, non essent libere et reflexibiles supra se. Igitur, si sunt potentiae activae sunt formae, quia omne agens est formale. Ergo oportet quod ista forma sit vel substantialis vel accidentalis, sed probatum est quod non sunt accidentia, ergo sunt formae substantiales. Et etiam quia anima vere intelligit et vult per istas, omnis autem operatio est a forma. Dicendum est ergo secundum istos, quod sunt duae potentiae diverse.

⁴ Augustinus, *De trinitate* lib. 10, cap. 21.

Ad

argumentum, dicendum, quod minor est falsa. Ad probationem dicendum, quod Augustinus intendit dicere

quod sint una substantia in ratione subpositi. Vel dicendum quod ipse fuit illius positionis sicut satis innuitur in littera illa. Nulla enim potentia praecise sumpta est penitus idem quod anima, etiam intellectiva, sicut non pars idem suo toti, sed omnis simul sumpte cum sua materia.

Ad secundum, dicendum, quod actus aliquando attribuitur proprie alicui sicut agenti vel elicenti, ut intelligere intellectui. Aliquando vero per accidens, sicut dicimus iustitia est fortis, vel albus est musicus, quia convenit uni supposito. Et sic accepit ibi Augustinus quando dixit, quod voluntas intelligit.

Ad tertiam, dicendum, quod illa propositio debet intelligi de ratione obiecti formalis et non materialis, et tunc vera est. Una autem essentia potest habere plures rationes formales, sicut dicit in minori. Vel dicendum, quod intelligitur quantum <30ra> ad innotescentiam, et non per causam essentialem, sed bene finalem.